ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissimo Viro
Constantino Hugenio equiti etc.
S. P.

Vir Nobilissime

Nihil minus quam versus aut poëtica (ut sic loquar) modulaminis tri-
pudia meditabar, cum me in Hagano collimitio, post translatas in The-
midis sacrarium Musas, literæ tuæ deprehenderunt. Sponsalitium enim
carmen, augustisque Ducum tædis oblatum poëma velut scholasticæ vitæ
præficam habui, ut Prisciano meo exequias irem, ad feria Traiectinæ
Academiæ exercitia rediturus. fateor exultasse me laureatæ epistolæ
gaudio, non ob mercedem, minus generosi spiritus pabulum, (etsi muni-
ficentiæ Principalis in me rara sors est) sed quod inter castrensis vi-
tæ negotiosos strepitus memoriæ tuæ indigena perstiti. Jam spem omnem
victuri partus abieceram, quem te commendante tollere celsissimus
imperator dignatus est; forsan et illustri transfretantis sponsi comi-
tatu animosum. Quod beneficium cum literario humilitatis nostræ ob-
sequio circumfuderit dignitatis tuæ radios, gratitudini meæ onus im-
posuisti, sub quo devotissimus nobilissimæ familiaritati cultus labascit.
Sed qui ab animo pondus assignas externis officijs domesticæ necessitudi-
nis, nostra inprimis vegeti affectus sollicitudine non fortunæ men-
tis metire. Illa enim turbatas vitæ rationes hactenus cum ludi-
bunda versaverit, nunc demum anhelanti ad virilitatis spatia juben-
te stadium literariæ tranquillitatis referat, quod diu absolvisse licuis-
set, si desultorium non fecissent familiæ nostræ fata. Agnoscimus, vir
nobiliss. cœli imperium, cui alligata mortalitas vane obluctando con-
sumat inflatos spiritus. Neque vero illud ignoramus fatigato castigan-
tis flagello succedere lætiores subinde vices, comprobantibus adversi-
tatum experimentis fidei constantiam. Qui Phœbus ut aliquan-
do discutiat tristitiæ apud nos inquilinæ vix penetrandas nubes ille
dabit, qui rerum arbiter, mundana dispensat. Et mutandæ sortis
auguria collegisse videor, si Zulichemia astra sistere negent
continuandi favoris influxum. Cuius voti ut ingens temeritas est,
si alio quam te interprete, vir Nobiliss. judicetur, ita mens optime
ingeniata certissimam gignit fiduciam, fore ut aliquando nacta ma-
turitatis suæ præcipitatum tempus studia utili benevolentiæ tuæ
complexu gestiant. Vale vir Nobilissime et commendationis tuæ
apud Principem gratias accipe tenuiculi apparatus congesto labore
properatas. Traiecti ad Rhenum e secessu meo. XV Calendas
Decemb. CIↃ IↃCXLI. Jk woone opde nieuwe gracht inde
[illegible] achter de munte.

T. illus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2909

Mijn heer

Constantinus Hugens Ridder
heer van Zuilichem, raad en Secre:
taris van syn hooch: Dooraeghg
achter het hof
en
sGravenhage